

ritate dignaremur. Nimirum petiit, ut quoniam ex constitutionum earundem praescripto alumnos nonnisi ex titulo patrimonii ad sacros promoveri ordines liceret, ideo propter multorum inopiam jure illo speciatim ac distincte augeri per Nos suam Congregationem cuperet, quo jam ipsa potiri caeteroquin affirmat illo videlicet jure, cujus vi sibi ac successoribus suis futuris temporibus generalibus liceret etiam mensae communis titulo suos alumnos ordinibus sacris initiandos offerre, iisque literas, ut vocant dimissoriales, concedere. Atque secundum id petiit etiam, ut, si aliquos postea dimitti alumnos contigerit, his nihil omnino deberi ab eadem Congregatione declarem.

Nos igitur petitioni ejusdem Superioris generalis praedictae Congregationis sanctissimi Redemptoris annuentes pro singulari, quo Congregationem eam prosequimur, dilectionis affectu volentes quoque ac scientes, sive, ut dici solet, motu proprio et certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque apostolicae potestatis plenitudine per hasce literas nedum confirmamus sed etiam ex integro nunc jus illud eidem Congregationi perpetuum in modum elargimur et attribuimus, quo, tametsi non vota solemnia sed solum vota simplicia cum juramento perseverantiae in ea nuncupentur, Superior generalis pro tempore alumnos suos vel ob eorum inopiam vel alias ob causas titulo mensae communis, contra quam in supradictis constitutionibus praescriptum est, sacris ordinibus initiandos offerre atque his in casibus literas dimissoriales concedere idem per se ipse possit et valeat. Quum autem revera accidere queat, ut alumnus aliquis post susceptos ordines sacros, emissis jam antea votis simplicibus factoque perseverantiae juramento dimittatur justis scilicet gravibusque de

causis (de quibus tamen Superiores non tenentur dimissis rationem reddere) juxta ejusdem Congregationis Constitutiones, Nos animadvertentes aequibonique rationi illud neutiquam consentaneum esse vel quod praedicta Congregatio, quae in dimissionibus hujusmodi jure suo utitur, oneri quidpiam suppeditandi obnoxia remaneat vel quod sibi ex sua culpa is, qui causam dimissioni praebet, commodum nanciscatur, Congregationem ipsam hac super re ab omni in posterum vindicandam molestia censuimus. Quare non optatis solum hodierni ejusdem Superioris generalis obsecundantes, sed eodem etiam, ut supra diximus, motu proprio plenaque scientia ac deliberatione atque apostolica auctoritate Nostra id quoque per praesentes declaramus atque decernimus, Congregationem nempe sanctissimi Redemptoris nulla obstringi prorsus obligatione ad subministrationem ullam sive congruae sustentationis sive alimentorum nomine aut alio quovis titulo et causa illis praebendam, quos, post emissa jam vota simplicia factumque perseverantiae juramentum, extra ipsam Congregationem ejici contingat, quamvis ad sacros antea ordines sine patrimonio et sine ecclesiastico beneficio quocumque sed solo mensae communis titulo, juxta ea, quae superius dicta statutaque sunt, iidem fuerint promoti, dum in eadem Congregatione manebant.

Haec ergo concedimus et declaramus decernentes has literas formas validas et efficias existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere eidemque Congregatione eorum causa, quae expressa sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definire debere, ac irritum et inane, si secus

super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attigerit attentari.

Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus necnon praedictae Congregationis sanctissimi Redemptoris et ecclesiarum atque locorum quorumlibet legibus, consuetudinibus ac privilegiis juramento etiam vel confirmatione apostolica roboratis, quamquam pro illorum derogatione specialis mentio facienda aut alia exquisita formula servanda esset, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum literarum exemplis etiam praelo traditis manuque publici notarii vel secretarii praedictae Congregationis subscriptis et sigillo Superioris generalis ejusdem Congregationis vel alterius viri et dignitatem ecclesiasticam eveci, munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomato ostenso haberetur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 11. Martii 1828.

(Bull. r. Cont. t. XVII. p. 342.)

29) Vi et metu urgente Ordinandum.

Vd.: *Ordinatio ad Subdiac. etc.* (Valide Ordinati quamvis invite; *Hispalen.*; *def. intent. et tactus etc.*)

30) Unius.

Ad dubium: Utrum, etiam quando unus in Episcopali Sacello ordinatur, palam interdicare debeat Episcopus per unum ex suis, sicuti habetur in Pontificali Romano:

„Ne quis accedat irregularis.“

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescribere censuit et declarare.

N. 5180 ad 4 die 25. Sept. 1852.

ORDINES MAJORES.

Num possint conferri ab Episcopo illis Regularibus, quibus Abbas non ab Episcopo sed ab Abbate benedictus Minores conferebat?

Vd.: *Ordin. minor.* (Num Abbas bened. non ab Episcopo sed etc., decr. diei 12. Feb. 1724.)

ORDINES MINORES.

1) Num Abbas benedictus non ab Episcopo, sed ab aliis Abbatibus, et PP. Generalibus, possit conferre Tonsuram et Ordines minores?

Ad dubium: An Abbas Lubensis caeterique ejusdem Provinciae Abbates presbyteri non benedicti ab Episcopo sed a suo PP. Generali vel ejus Subdelegatis possint tonsuram et Minores suis subditis Regularibus conferre, ita ut, nisi aliud Ordinatis obstat canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre Ordines majores?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius. Die 12. Febr. 1724. *Uratislaviensis*. (Conc. Tr. C. 10. Sess. 23. De ref.)

Adnotationes Secretarii S. C. C. circa collationem Tonsurae et Minor. Ordinum, quae fit ab Abbatibus regul., qui Benedictionem Apostolicam aut Episcopalem non receperunt, suis subditis Regularibus.

Nonnulli sunt in Jure canonico Textus ad expositam materiam pertinentes. Primus est in *Can.*: *quoniam dist. 69. ibi: Lectoris autem manus impositioni licentia est Abbati, solummodo in proprio Monasterio faciendi, si dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem praeficiendorum Abbatum, dum constet illum Presbyterum.*

tur. Nihil autem obesse, quod in Constitutione Benedicti XIII. Pontificis Optimi, cujus initium est: *Communis nobis etc.*, edita vero est „post Romanum Concilium“, praecipitur, ut Abbates Regulares Benedictionem infra annum ab Episcopo accipiant, nam in §.: *Quo vero ejusdem Constitutionis excipiuntur ii, qui a Summis Pontificibus privilegium habent ea post electionem gerendi, quae agunt omnes Abbates Benedicti et quod rei caput est in eadem Constitutione, iis tantum anni tempus statuitur, qui illam accipere tenentur, non vero aut novum onus adjungitur, aut ii memorantur, quibus Summi Pontifices usum concessere Pontificalium. Atque haec Abbas: Episcopus, qui, ut opus erat, rogatus fuit de sententia animi sui, aperte respondit, nihil habere, quod excipiat contra id, quod declarare poterunt Amplissimi Patres: Haec igitur dubia definienda proponuntur:*

I. *An Abbates Monasterii Sanctorum Petri et Pauli Weyaren. primam Tonsuram et minores Ordines suis subditis Regularibus conferre valeant? Et quatenus affirmative:*

II. *An hujusmodi facultas competat antedictis Abbatibus absque Benedictione Episcopali in casu?*

S. C. C. resp.

ad I.: Negative et amplius;

ad II.: Provisum in primo.

Die 3. Apr. 1745 et 17. Sept. 1746.

3) Num Abbas Clericis saecularibus conferre possit?

Vd.: *Ordines Minor.* (Num Abbas bened. non ab Episcopis etc. decr. *Brixien.*)

4) Sub conditione reiterandi.

Vd.: *Ordin. Min.* (furtive Ordinati, decr. diei 11. Jan. 1710 *Aprut.*; *Ugentina* diei 3. Aug. 1743.)

5) Furtive Ordinati.

Aprutina.

(Conc. Tr. C. 5. 7. Sess. 23. De Ref.)

Exposuit huic Sac. Congr. Joseph Baldus loci Bellantis, quod cupiens describi militiae Ecclesiasticae exoravit Episcopum, ut ei conferret primam Tonsuram et duos priores minores Ordines et rescriptum obtinuit: *Ad primam Tonsuram tantum, pro qua sola fuit ab Examinatoribus Synodalibus examinatus; eaque suscepta in Ordinatione habita die 20. Sept. 1704 asserens se ad alios minores Ordines vocatum se immiscuit cum aliis Ordinandis et materiam primi et secundi Ordinis tetigit, sed ab Episcopo Bullam seu literas patentes pro prima Tonsura tantum reportavit. Cumque nuper Orator fuerit praesentatus ad Beneficium de Jurepatronatus ab Universitate Bellantis, institit, sed obtinere non valuit ab Episcopo Institutionem, nisi prius obtineat absolutio- nem et dispensationem ab Irregularitate, pro qua eidem S. C. humillime supplicavit declarari, nullum Canonicum impedimentum incurrisse, quod non possit ab Episcopo dispensari. Exposita comprobavit Episcopus informare jussus ac retulit verum non esse, quod Orator fuerit vocatus, cum revera is se immiscuerit cum aliis Ordinandis ac proinde Antistes noluerit illum ad alias deinde sequutas Ordinationes admittere, nisi prius obtenta absoluteione ab hac S. C. in poenam fraudis commissae, quae omnia pervenisse, ait, ad ejus notitiam ex relatione alterius Clerici ordinati in eadem ordinatione. Caeterum se remittit iudicio prudentissimo EE. VV. Hinc proposita causa per Summarium die 5. Junii proxime praeteriti rescriptum fuit: pro meliore Informatione, an ipse Episcopus in actu Or-*

ordinationis intentionem habuerit excludendi non examinatos pro Ordinibus vel praecise Oratorem, anve fecerit aliquam protestationem vel comminationem sub poena excommunicationis adversus furtive accedentes ad ordines. Ad haec, ultimo loco, respondens Episcopus ait, quod ipse in actu Ordinationis semper comminatur poenam excommunicationis contra furtive accedentes, nec esse verum subdidit, quod Orator fuerit vocatus, nam propter hoc noluit ipse Episcopus eidem expedire Bullas, nisi solius primae Tonsurae, uti fusius in utraque relatione danda in Summario.

Quibus quidem recitatis in Congregatione die 3. Augusti prope elapsi anni jussus fuit, ut causa poneretur in folio, quemadmodum parendo mandatis ea hodie proponitur, humiliter instante Oratore, pro resolutione infrascriptorum dubiorum ex juribus ab eo decludendis:

I. *An stante supradicta Ordinatione idem Clericus ullum canonicum impedimentum contraxerit, quod ab Episcopo dispensari non possit? Et quatenus affirmative;*

II. *An saltem eidem indulgenda sit relaxatio a S. C.?*

III. *An supradicti Ordines minores, modo quo supra suscepti, sint reiterandi in casu etc.?*

S. C. C. resp.

ad I. et II.: Pro facultate dispensandi arbitrio Episcopi imposita poenitentia salutari:

ad III.: Affirmative sub conditione in casu, de quo agitur.

Die 11. Jan. 1710.

Perusina.

(Conc. Tr. C. 7. S. 23. De Ref.)

Nicolaus Ligi ex Augustiniana Familia, postquam subierat examen pro clericali Tonsura et quatuor minoribus

ordinibus suscipiendis, in generali ordinatione, quam mense Decembri superioris anni habuit Episcopus, Tonsura fuit initiatus. Deinde vero cum Minister nominatim evocasset singulos, qui ad Ostiariatum erant promovendi, Antonius Nicolaus se inter eos appellari non audiens, errasse Ministrum credit et ob hanc opinionem accessit cum aliis ad Episcopum atque Ostiariatus ordinem suscepit. Id autem hunc in modum accidisse non nisi post absolutam functionem patefactum est et re ad Episcopum statim delata respondit: se eo fuisse animo, ut non nisi primam Tonsuram illi conferret. Itaque cum deinde memoratus Religiosus in Coenobio Spoletano a Superioribus collocatus fuisset, renuit Episcopus eum ad alios ordines evehere, nisi prius hujus Sacr. Congregationis sententia fuisset explorata.

Episcopus Perusinus Sacr. Congregationem instructam reddere jussus narrat se ante ordinationem palam edixisse sub excommunicationis poena, ne quis non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus auderet ad suscipiendos ordines accedere. Subjungit quoque sibi, antequam ad illam functionem aggrediretur, fixum constitutumque fuisse, ut vel singulos tantum ordines vel clericalem dumtaxat Tonsuram singulis conferret. Existimat nihilominus, Fr. Antonium Nicolaum valide Ostiariatum suscepisse, nam quamvis, si animadvertisset eum fuisse tunc initiatum prima Tonsura, ab Ostiariatu ei conferendo abstinisset, hoc tamen non comperto, habuit re ipsa deliberatam voluntatem conferendi Ostiariatum homini coram se adstanti.

Plures quidem Doctores existimant, quod si Episcopus ante ordinationem fuerit protestatus se non habere intentionem conferendi ordines iis, qui se furtim intruserint ordinationi, irrita

Secundus est in *Cap. : cum contingat de aetate et qualitate*, ubi reasumptis verbis Canonis supra allegati discernitur Abbatem Presbyterum et benedictum primam Tonsuram suis Monachis conferre posse.

Tertius est in *Cap. : statuimus de supplenda negligentia Praelatorum*, ubi dicitur: *si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione, sicut convenit, requisitus, substitutos Abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere et alia, quae ad Officium huiusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiam recogitent et Abbates benedicere non recusent.*

Quartus est in *Cap. : Abbates de privilegiis in 6.*, ubi legitur: *nec eis licitum sit aliis, quam Monasteriorum suorum Conversis et qui ad illa convolaverint et in quos Ecclesiasticam et quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre Tonsuram, nisi eis id competat ex pleno praefatae Sedis Indulto.*

Ultimus denique desumitur ex *Cap. : 10. Sess. 23. de Refor.*, ubi decernitur: *Abbatibus ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis non liceat impofterum intra fines alicujus Dioecesis consistentibus, etiamsi nullius Dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre.*

Et ab his Juris canonici Textibus inferunt communiter Doctores, *duo esse necessaria ad effectum, ut Abbas Regularis conferre valeat suis Subditis Regularibus Tonsuram et Minores Ordines, quod videlicet sit Presbyter et solemniter sit benedictus*; licet enim in citato Textu Sacri Concilii Tridentini prohibeatur Abbatibus conferre Ordines cuiquam, qui Regularis Subditus non sit, non valet tamen illatio a contrario sensu, ut videlicet

cuiilibet suo Subdito Regulari Ordines minores conferre possit, cum haec potestas sic explicanda sit, ut sibi vindicet locum, quando concurrunt in Abbatibus qualitates a Sacris Canonibus requisitae, hoc est Presbyterii et Benedictionis, *Fagnan. in cap. : quanto n. 21. et seqq. de consuetudine, Vanespen. Juris Eccles. univ. tom. 1. par. 1. lit. 31. cap. 6. n. 16. et seqq.*

Quia vero haec Abbatum benedictio, de qua fuse in Pontificali Romano, quaeque a nonnullis, licet improprie, dicitur consecratio, non est absolute et simpliciter necessario, ut Abbas suis subditis Regularibus conferre valeat primam Tonsuram et Minores Ordines, alias non bene decretum fuisset in *cap. : Statuimus de supplenda negligentia Praelatorum*, quod Abbates primam Tonsuram conferant et Minores Ordines, si Episcopi ter requisiti benedicere recusaverint, uti supra visum est, hinc emanavit subalterna quaedam doctorum propositio innixa tum praedictae rationi tum plerisque privilegiis, quae habentur in particularibus Bullariis Monachorum, quod concurrente videlicet Apostolico privilegio, in quo Abbatibus non benedictis concedatur, ut ea facere possint, quae fiunt a caeteris Abbatibus benedictis, possint Abbates Regulares Presbyteri, licet non benedicti, prout hodie fere nullus benedicatur, cum non sint perpetui sed temporales, primam Tonsuram et Minores Ordines conferre suis Subditis Regularibus, *Tamburin. de jure Abbatum tom. 1. disput. 11. quaest. 3. n. 3. et seqq. et eodem tom. 1. disput. 11. quaest. 13. et tom. 2. disput. 2. quaest. 3. per totam; Barbosa vota 89. n. 28. lib. 3.; Pirhing. ad primum librum Decretalium tom. 1. tit. 11. sect. 1. §. 6. n. 43.; Clericat. de Sacramento Ordinis decis. 15. n. 7. et pluribus seqq.*

Et conferunt resolutiones hujus Sacrae Congregationis, quae decrevit: *Abba-*

tibus benedictis vel quibus a Sede Apostolica concessum est privilegium, ut possint ea omnia facere, quae possunt Abbates benedicti, Tonsuram minoresque Ordines suis Subditis Regularibus tantum conferre aliaque pontificalia huiusmodi Abbatibus competentia in suis Ordinis Monasteriorum Ecclesiis et limitibus exercere, taliterque ordinatos, si quid aliud non obtiterit, legitime posse a quibusvis Ordinariis ad superiores Ordines promoveri, quae Sacrae Congregationis resolutio fuit in forma specifica confirmata in literis Apostolicis Clementis Octavi impressis inter privilegia Cisterciensium Parisiis edita anno 1713 p. 194.

Haec sunt, quae pertinent ad juris communis dispositiones; nunc transeundo ad dispositiones et privilegia locum de Cisterciensibus, Textus supra allegatus in *cap. Statuimus de supplenda negligentia Praelatorum* loquitur de Cisterciensibus et eorum Abbatibus indulget, ut Tonsuram conferant, si Episcopi ter requisiti noluerint illis benedictionem impertiri, uti colligitur ex illius lectura et bene adnotavit *Maurique tom. 2. Annal. Cistercens. anno 1169 cap. 3. n. 4.*

Ad eosdem pertinet Cisterciensium dispositio Textus in *cap. : Ne Dei Ecclesiam de Simonia*, ubi ponitur forma obedientiae ab Abbatibus Cisterciensibus praestandae Episcopis.

Verum sermonem instituendo de privilegiis hujus Ordinis extra corpus Juris Communis constitutis, solemnissimum est illud Innocentii Octavi, de quo in supradicto privilegiorum libro p. 137, ubi Abbati Cistercii Dioecesis Cabilonensis et aliis quatuor insignioribus Abbatibus et eorum successoribus datur facultas conferendi Subdiaconatum et Diaconatum Monachis sui Ordinis: *ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus et Diaconatus Ordinibus extra Claustrum hinc inde*

discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis Monachis, aliis vero quatuor Abbatibus praefatis ac eorum successoribus, ut suorum Monasteriorum praedictorum Religiosis, quos ad idoneos reperietis, Subdiaconatus et Diaconatus Ordines huiusmodi alias rite conferre possitis. Theologi modum et rationes exquirunt, quomodo simplicibus Sacerdotibus potuerit dari facultas conferendi ordinem Subdiaconatus et Diaconatus; at quidquid sit de hoc, *certum esse videtur, huic privilegio fuisse a Concilio Tridentino derogatum sess. 23. cap. 10. et 12.*, uti late ostendit *Navar. consil. 13. de privilegiis et late prosequitur Suarez de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 29. n. 17. et n. 24. et 25.*

Aliorum privilegiorum Eugenii Quarti et Julii Secundi, quod Abbates Trienales Cistercienses Hispani, licet eis munus benedictionis non sit impensum, fruuntur omnibus et singulis honoribus, praeeminentis, privilegiis et praerogativis, quibus alii fruuntur Abbates Benedicti, mentio habetur apud *Suarez loco citato et latius apud Dianam in edit. coord. tom. 2. tract. 5. resolut. 81.*

Occasione benedictionis, quam Abbates Cistercienses ab Episcopis petebant, simultates et jurgia exoriebantur; quocirca Innocentius Papa Octavus concessit Abbati Generali, ut Abbates et Abbatissas sui Ordinis benedicere posset, uti habetur in citato libro privilegiorum p. 137 n. 5.: *tibi et successoribus tuis praedictis dumtaxat, ut munus benedictionis huiusmodi, quibuscumque dicti Ordinis Abbatibus et Abbatissis impendere, ac Abbatibus et Abbatissis praedictis, ut dictum munus a te et successoribus tuis praefatis recipere libere ac licite possitis et possint, indulgemus.*

Clemens Octavus privilegium hoc confirmavit et extendit ad *Vicarios Abbates,*

qui ab Abbate Generali subdelegarentur pro reliquorum Abbatum et Abbatissarum Ordinis benedictione, uti habetur in citato libro privilegiorum p. 199: *tibi ac pro tempore existenti Generali Abbati tui dicti Ordinis, quando-cunque opus fuerit, principalibus Vicariis tuis, qui Abbates existunt, munus benedictionis caeteris Abbatibus et Abbatissis impendendi facultatem subdelegandi auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuam concedimus potestatem*; idemque Clemens Octavus iterum reassumpto tenore concessionis Innocentii Octavi et ampliacionis a se factae ad aliam subsequenter devenit ampliacionem, extendendo facultatem Abbatis Generalis quoad subdelegandum ab Abbatibus Vicariis ad Praesidentes et Reformatores, uti habetur in citato libro privilegiorum p. 207 et instante pariter Abbate Generali per suas literas Apostolicas in forma Brevis confirmavit resolutionem hujus Sacrae Congregationis, uti supra dictum est, in qua firmatum fuit, posse Abbates conferre Tonsuram et Minores Ordines suis Subditis Regularibus, si sint benedicti vel habeant privilegium a Sede Apostolica ea omnia gerendi et faciendi, quae fiunt ab Abbatibus benedictis. Acquisita ab Abbate Generali facultate benedicendi per se vel per suos Subdelegatos Abbates et Abbatissas sui Ordinis, cum Abbas Monasterii S. Mariae de Lande ejusdem Ordinis Cisterciensis solemniter benedictus, Tonsuram et minores Ordines contulisset Monachis sui Monasterii Dioecesis Tornacensis et Episcopus renueret, eosdem promovere ad Ordines majores, sub obtentu, quod in Indulto Pontificalium nulla facta fuerat mentio collationis minorum Ordinum, instante memorato Abbate, Paulus Papa V., uti habetur in saepe allegato libro privilegiorum p. 209, confirmavit sequentem hujus Sacrae Congregationis resolutionem: *Sacra*

Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, si hujusmodi Abbas aliique ejus successores pro tempore existentes fuerint solemniter benedicti et Presbyteri, potuisse posseque conferre Regularibus suis Subditis primam Tonsuram et Ordines minores, quamvis in Indulto Apostolico, quo conceditur usus Mitrae et Baculi, nulla hujusmodi facultatis mentio habeatur, ideoque Episcopum Dioecesanum non debere recusare, quin eos, nisi aliud obstiterit, ad Sacros Ordines promoveat.

Et haec sunt, quae pro facilitando causae studio Secretarius adnotavit et in sui obsequii signum non incongruum existimavit ad EE. VV. transmittere.

Die 12. Febr. 1724.

Brixien.

In Decreto Sacri Concilii Tridentini Cap. 10. Sess. 23. de Ref. Abbates utcumque exempti prohibentur Tonsuram vel minores Ordines conferre cuiquam, qui Regularis subditus eis non sit, itidemque literas dimissorias Clericis Saecularibus concedere, ut ab aliis ordinentur, abrogando quaecumque privilegia, praescriptiones aut consuetudines etiam immemorabiles.

Quoad potestatem conferendi Tonsuram et minores Ordines Regularibus Abbati subjectis requiri solet vel quod Abbati benedictionem solemniter fuerit impertitus Episcopus, ad normam Cap.: *Cum contingat de aetat. et qualit. praeficien.*, vel quod a Sede Apostolica obtinuerit privilegium, quo tribuatur facultas faciendi quaecumque agere possunt Abbates benedicti, ut tradunt Fagnan. in cap.: *Statuimus* n. 53. de supplen. neglig. Praelat. et in cap.: *Quanto* n. 24. et seqq. de Consuetud. et in cap.: *Aqua* n. 18. de consec. Eccl. cum aliis, quos

refert Eminentissimus Petra tom. 5. ad Constit. 9. Pii II. n. 28. et seqq.

Hinc Sac. Congregatio in Panormitana 16. Martii 1647 ad I. Dubium rescripsit: *Abbatem non benedictum, si habeat privilegium speciale Apostolicum conferendi Ordines minores, posse suis subditis Regularibus conferre, secus si id ei non fuerit ex privilegio Apostolico concessum, ut in lib. 18. Decr. p. 311.*

In specie vero *Abbatum Familiae Cisterciensis* eadem Sac. Congregatio censuit satis esse, quod benedictionem susceperint a suo Superiore Generali juxta ejusdem Ordinis privilegia. Siquidem in Uratislavien. die 12. Febr. 1724 proposito hoc Dubio: *An Abbas Lubensis, caeterique ejusdem Provinciae Abbates Presbyteri, non benedicti ab Episcopo sed a suo Patre Generali vel ejus Subdelegatis, possint Tonsuram et minores Ordines suis Subditis Regularibus conferre, ita ut, nisi aliud Ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illi conferre Ordines majores in casu?* rescriptum fuit: = *affirmative* =, ut in lib. 74. Decret. p. 66.

Et quamquam S. Mem. Benedictus XIII. in Constitutione edita anno 1725 et et impressa in Appendice Concilii Romani p. 142 statuerit quoscumque Abbates Regulares perpetuo infra annum post eorum electionem debere solemnem benedictionem suscipere ab Episcopo Dioecetano, hanc tamen addidit declarationem: *Quo vero ad Abbates, quibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris indultum fuit, ut a suis Superioribus Regularibus vel ab eorum Praelatis delegatis benedictionem sumere possint vel etiam per speciale Indultum Apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus et Apostolica, quibus gaudent,*

privilegia ubique inconcusse observari praecipimus et mandamus.

Caeterum cum potestati conferendi Ordines minores, quae vel Abbatibus benedictis ex vi Juris communis competat juxta Cap.: *Abbates de privil. in 6.*, vel quae etiam possit ex Apostolico privilegio competere Abbatibus non benedictis, modum posuerit Tridentina Synodus, eam coercendo ad Regulares eidem Abbati subditos tantum, plane sequitur eos non posse Ordines conferre vel aliis Regularibus sibi non subjectis vel Saecularibus, sed tamen illicitam, adeoque exercitii jure carentem dumtaxat esse, non vero invalidam Ordinationem, quando est facta ab Abbate potestatem habente, quamvis limitatam in usu ad certum genus personarum, probat Fagnan. in cap.: *Statuimus* per tot. ac praesertim n. 53. et seqq. de supplen. neglig. Praelat. et in cap.: *Aqua* de Consecrat. Eccles. n. 11. Eminentissimus Petra loco supra citato a n. 38. ad fin.

Huic vero sententiae adstipulantur etiam Decreta hujus Sac. Congregationis. Siquidem in d. Panormitana 16. Martii 1647 ad II. Dubium ita rescriptum fuit: *Abbatem non benedictum, habentem privilegium, ut supra, non posse Ordines minores conferre non suis subditis, etiam Regularibus alterius Ordinis. Collatione autem Ordinum supradictis non suis subditis etiam Regularibus facta, si fuerit de Ordinibus etiam minoribus et dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium Apostolicum, Ordines collatos remanere invalidos et Ordinatos indigere alia Ordinatione, si vero Abbas non benedictus habeat privilegium et Ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, Ordinatos non indigere alia Ordinatione, sed tantummodo absolutione et rehabilitatione a Sede Apostolica obtinenda, ut in citato lib. 18. Decret. p. 311 et in*

Conimbrien. 26. Junii 1655, in qua responsum fuit: *Abbatibus Congregationis S. Bernardi et S. Benedicti Ordines etiam minores Regularibus sibi non subditis et multo minus Saecularibus conferre non posse, non obstantibus illorum privilegiis. Promotos vero ab illis non indigere alia collatione dictorum Ordinum, sed absolute et rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda, ut in lib. 19. Decr. p. 584.* Consonat et alia resolutio edita quoad Abbatem non benedictum Congregationis Cassinensis in Mutinen. Ordinationis, quam pariter refert Eminentissimus Petra supra citatus n. 40.

Quod autem Regulares non subditi vel saeculares, quibus Abbas Ordines minores contulerit, habuerint literas dimissorias vel a suis Ordinariis, nihil refert ad licitam reddendam Ordinationem, ut discusso hoc dubio jussu Clementis VIII. in *Sacra Rota* determinatum fuit in dec. 985. cor. Seraph., quam approbavit etiam Sac. Congregatio in Catanien. Juris conferendi Ordines, inter Episcopum Catanien. et Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinen. ac alios die 3. Dec. 1641, quae indicatur in lib. 16. Decr. p. 610, sed recensetur ad diem 15. Febr. 1642 post approbationem Pontificis, ut in lib. 17. Decr. p. 1. eademque resolutio habetur apud *Fagnan.* in d. cap. *Aqua* sub n. 19. de consecrat. Eccles., *Nicol.* locubr. Jur. tom. 2. lib. 1. tit. 14. de aetat. et qualit. et ordin. praeficien., *Dianam* par. 7. tract. 11. resol. 42. et Eminentiss. Petram tom. 5. ad dictam Constit. 9. Pii II. sub n. 40.

Ceterum Ordinum minorum collatio facta ab Abbate Saecularibus habentibus literas dimissorias suorum Ordinariorum non ob aliam causam censenda videtur illicita, nisi quia facta fuerit sine assensu Episcopi ejus loci, in quo Pontificalium exercitium adhi-

bitum fuerit, contra Decretum Sac. Concilii Tridentini in cap. 5. sess. 6. de Ref.; nam alioqui haec Sac. Congregatio in antiqua Causa Bononien. censuit: *Abbatibus, postquam Ordinem Sacerdotalem et munus benedictionis susceperint, posse Tonsuram et minores Ordines Saecularibus Episcopi jurisdictioni subjectis conferri, si modo ipsius Episcopi consensus accedat, ique pro se quisque ab eodem Episcopo literas dimissorias impetraverint, ita ut satis non sit id generatim ab Episcopo fuisse concessum, sed hac semper concessione singulis opus sit. Posse itidem eosdem Ordines conferre aliis Regularibus, qui literas dimissorias speciales suorum Superiorum necnon specialem consensum Episcopi loci habuerint: ac praeterea aliis Saecularibus subditis aliorum Episcoporum, dum tamen et ipsi attulerint speciales dimissorias suorum Ordinariorum et consensum specialem Episcopi loci, ut refert *Fagnan.* in d. cap.: *Aqua* n. 8. de consecrat. Eccles., qui etiam deinde hoc Decretum ab objectionibus vindicat, explicando sub n. 16. supra citatam decision. 985. cor. Seraph. ac n. 18. addit alterum simile Decretum hujus Sac. Congregationis de Abbate Congregationis Olivetanae.*

His positis S. C. C. dignetur discernere:

1. An Abbati Monasterii *Stambensi* Ord. *Cisterc.* liceat tonsuram et Ord. minores conferre non solum Monachis sibi subditis sed etiam aliis Regularibus non subditis?

2. An liceat eidem Abbati tonsuram et Ord. Min. conferre Saecularibus aliorum Dioecesium cum Dimissoriis sui Ordinarii et sine licentia Episcopi *Brixinensis*, cujus Dioecesis est monasterium *Stambense*? Et quatenus negative.

3. An taliter Ordinati valide susceperint Ordines?

S. C. C. resp.

Ad I.: Negative quoad non Subditos.

Ad II.: Negative.

Ad III.: Affirmative.

Die 28. Nov. et 12. Dec. 1733.

2) Num Abbas non benedictus possit conferre primam tonsuram et Ord. minores?

Vd.: *Ordines Minor.* (Num Abbas bened. non ab Episcopo, sed etc., decr. *Brixien.* et *Uratislav.*)

Frisingen.

Postulat Abbas Monasterii Sanctorum Petri et Pauli Ordinis Canonicorum Regularium D. Augustini Weyarensis, ut Amplissimi Patres definiant: an ipse possit primam Tonsuram minoresque Ordines suis subditis Regularibus conferre etiam absque Episcopali Benedictione, quod etsi ejus Praedecessores, quibus facultas utendi Mitra et Baculo, aliisque Insigniis Pontificalibus juxta morem Abbatum Regularium benigne data fuit ab Innocentio XII. Pontifice Optimo Maximo, omnia exercuerint, quae Pontificalia recipiunt, habito, ut opus erat, Episcopi assensu, ab Ordinum tamen collatione abstinuerint: hos autem conferre ipse cupit, ne ejus subditis plurima subeunda sint itineris non brevis incommoda, hyemali praesertim tempore et Bellorum, quae nimium frequentar exardescunt. Ut enim Abbates Regulares, qui Pontificalium usum habent, facultatem quoque habent minores Ordines conferendi ex text. in Can. 1. et 2. dist. 21. et cap.: *Abbatibus* de Privileg. in 6. et late monent *Butrius* in cap.: *Cum inter de Senten.* et re *Jud.*, *Fagnan.* in cap.: *Cum contingat* n. 1. et 2. De aetat. et qualit., *Tamburrin.* de Jur. Abbat. vol. 2. quaest. 1. n. 8., atque omnes fere Pontificii juris Interpretes, ita Abbas Monasterii SS. Petri et Pauli eandem sibi esse facultatem contendit, quod ab aliis Regularibus Abbatibus non sit dissimilis:

nec referre, a Summo Pontifice Innocentio non fuisse expresse tributam, satis enim esse potestatem atque usum concessisse Pontificalium, e quibus jus venire putat minores Ordines primamque Tonsuram conferendi, non alia ratione, ac illis, qui inter S. R. E. Cardinales allekti sunt, sine ullo particulari Privilegio fas est, Familiares suos Tonsura minoribusque Ordinibus insignire ex vetustissima consuetudine, de qua *Jo. Andreas* in cap. 1. de supplen. neglig. Prael., *Barbosa* de offic. et Potes. Episc. par. 2. alleg. 3. n. 15.; *Clericat.* de Sac. Ordin. dec. 14. n. 7.

Ex his rem eo deducit Abbas, ut inquiramus: an praecedere necessario debeat Episcopalis Benedictio, quam accipere Abbates tenentur priusquam Pontificalia exercent; ipse autem ea opus non esse putat, quod non ex necessitate accipiatur; Electione siquidem et Confirmatione, non vero Benedictione Episcopali Abbas fit et cum ex Apostolico Privilegio potestatem habeat Pontificalia exercendi, idem hoc esse, ac si Benedictionem accepisset Episcopalem, ut diserte habent *Barbos.* de offic. et potes. Episc. par. 2. alleg. 3. n. 6., *Ugolin.* de Offic. Episc. cap. 26. §. 19. n. 1., *Donat.* in Prax. Regul. vol. 2. de Regular. Promov. tractat. 3. quaest. 34. n. 1. et ita definit *Sacrum hoc Tribunal* in Causa *Panormitana* 16. Mart. 1644 ut est apud *Murgam* in Comment. ad Constitut. Apostol. post Constit. 12. n. 5. et *Pignatell.* in Compend. Canon. par. 1. tit. de Abbat. atque in alia Causa *Uratislavien.* 12. Febr. 1724, quae edita fuit in *Thesaur. Resol. Sac. Congreg.* vol. III. p. 19, ubi adjecta est luculentissima Adnotatio Sacratissimi Principis nostri, cum munus a Secretis Sacrae hujus Congregationis gereret, quamque oculis subjicere poterunt Amplissimi Patres, quod in ea omnis haec res distincte atque eleganter discutia-